Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 2215

Quelle:
Copyright:

Canones dictos *Apoſtolicos*, et in Concilium *Illiberitanum* (d' Elvire) habitum circa an. 300. omnem Eccleſiae doctrinam et diſciplinam late pervagantia, et bonae frugis uberrima.

Volumen II. Folior. 408. praemiſſis iterum Indicibus commentatur eodem modo in Concilia *Arelatenſe I. Ancyranum, Neocaeſareenſe, Laodicenum, Nicaenum I.*

Volumen III. Folior. 390. Concilia *Gangrenſe, Antiochenum, Sardicenſe, Carthaginienſe, CPolitanum I. Valentinum, Taurinenſe, Carthaginienſe* II. III. IV. exequitur, quibus ſi Concilia in ſupra memorato *Diſſertationum Tomo* diſcuſſa addas, magnam lucem omni Rei ſynodicae primorum VII. Seculorum a *Thomaſſino* hiſce ſuis obſervationibus affundi lubens fatebere.

DCCCCXXXIV.

U. 521 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 385. 4. non una manu perſcriptus, et rubricis diſtinctus totus paene *Gerſonianus* eſt, et e Concilio *Conſtantienſi* a Theologo noſtro *Petro Zach de Pulka Viennam* devectus videtur. Indicabo ſingula ad Editionem *Operum omn.* 1706. f. quae *Antverpiam* quidem praefert ad captandam benevolentiam, interim *Amſtelodamum* pertinet. Comparet igitur I. *Prima propoſitio domini Cancellarij pariſien. facta Conſtantie die iouis de veſpere. 17. octobr. vigilia beati Luce ewangeliſte 1415. in loco publice Seſſionis ſuper materia IX. aſſertionum* (Johan. Parvi) *per ipſum iudicialiter denunciatarum.* Init: *Eſtimo me beatum aput te* &c. ut Edit. T. II. *col.* 330. Definit: *per quem veritas et gratia facta eſt Ihesu chriſto qui eſt deus benedictus in ſecula Amen.* Redit hic Tractatus *fol.* 43.

Fol. 10. *Secunda Propoſitio Gerſon Cancellarij Paryſien.* Nempe: *Oportet hereſes eſſe ſicut apoſtolus* &c In Edit. T. II. *col.* 338. inſcribitur *Alius Sermo* &c. Nobis definit: *velit eſſe Judex teſtis et pars &c.* Itaque Edita aliquot lineis procurrunt, quae, an pertinentes ſint, neſcio. Etiam hic Tractatus redit *fol.* 55.

Fol. 26. Diſcutitur Quaeſtio, an liceat a Pontifice in cauſſis Fidei appellare, aut illius judicium declinare, ut T. II. *col.* 303. Initium: *Queritur vtrum hec aſſertio ſit catholica. Tam Jure diuinitus promulgato* &c. Folio praevio puro legitur: *Tradatur magiſtro P. de Pulka*, et ad ipſum Titulum minio: *Hoc ſcriptum a Cancellario paryſien. Ego tuli.*

Fol. 32. *Secuntur duodecim conſiderationes ſuper ſpirituum probatione. Anno* MCCCCXV. *die VIII. Auguſti in Ciuitate Conſtan. dum generale Concilium illic eſſet, extracte ab Okam per Cancellarium Paryſien. Jo. de Gerſon.* Ineunt: *Probate ſpiritus ſi ex deo ſunt* &c. ut. T. I. *col.* 38. ubi tamen ad calcem pro *die VIII. Aug.* ponitur *in die ſancti Auguſtini,*